

ANNOTATA ANTI-GROTIANA AD I. COR. CAPUT. IV.
rentis absq; charitate fit; *quem enim amat Pater, castigat Prov.*
III, 12. Ebr. XII, 6. Sed quia *charitas* sese magis exerit in benefactis,
quam in poenis & castigationibus. Si contemnere se pergant, sci-
ant, sibi virgam ad manum esse seq; habere auctoritatem & pote-
statem, quâ ipsos coërcere possit. Coniuncti severitatis speci-
men in incestuoso edidit: Sin verò paternis suis monitis locum de-
derint, suam quoq; lenitatem experientur. *Quod addit spiritu*
mansuetudinis, inquit August. l. III. adv. Parm. cap. 1. admonet in-
telligi, quia & *virga charitatem habet: Sed aliud est charitas man-*
suetudinis, aliud charitas severitatis. Una quidem *charitas est; sed*
diversa in diversis operatur. Violenta verò detorsio est, cum virga
à Papistis Bellarm. l. IV. de Rom. Pontif. *Svarezia* def. fid. Cath.
l. 3. c. 23. abripitur ad *ablationem jurium*, & possessionum tem-
poralium, quam utiq; Apostoli non habebant in manu unde de
objurgatione & correptione severa Chrysostomus, Theophylactus, & Na-
zianzianus: orat: l. de pace; etiam è Pontificiis *Cyrellius, Cajetanus, Sal-*
mero, Justinianus, & Saa explicant. *Estius* disertè *virgam* nomi-
nat, non *gladium* Conf. 2. Cor. VII. 15. Cap. X. 6. Adducit quidem
S. Augustinus hunc locum adversus epistolam Parm. Donatistæ l.
III. cap. 1. cum docet, *extare in Ecclesia potestatem coërcendi hæ-*
reticos poenis etiam civilibus. Sed quod hæc potestas competat
Episcopis, vigore clavis ligantis & solventis excommunican-
di, Jesuitica deliria sunt non verò Aposto-
lica dogmata.

SOLI DEO GLORIA,

EXI-